



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 108. Vaticinium Angeli Catti de morte Ducis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A. C. 1476.

## §. CVIII.

*Vaticinium Angeli Catti de morte  
Ducis.*

*Comm. lib. 5.  
c. 3.*

Comminæus Burgundiæ Ducis obitum  
recensens testatur, Angelum Cattum  
Virum nominatissimum quondam hujus  
Ducis familiarem, cum post Moratense  
prælium relicto illius obsequio ad Ludo-  
vicum XI. transiisset, præsente Rege in  
Ecclesia Turonensi ad S. Martinum sacris  
operatum fuisse, atque eodem tempore,  
quo Nancejensis pugna committeretur,  
sacram patenam Ludovico deosculandam  
porrexisse, latinoque sermone dixisse:

„ *Consummatum est, Pax tecum, potenter-*  
„ *sime Rex, dedit tibi Dominus pacem,*  
„ *tuum erit illa uti, hoc ipso temporis*  
„ *puncto deletus est Burgundi exerci-*  
„ *tus, & ipse prælio occubuit,* „ Ludovi-  
cicus Catti Viennensis Archiepiscopi (ad  
hanc enim Ecclesiam jam antea a Rege  
nominatus erat) verba non sine alterno  
nunc admirationis, jam gaudii affectu  
exceptit. Videtur tamen, quod Rex &  
que ac Comminæus, atque Aulicorum  
quamplurimi jam antea piam de hoc An-  
tistite opinionem conceperint, illumque  
Spiritu prophetico esse afflatum credide-  
rint: Ludovicus enim mox nuncupato  
voto promisit, se cancellis sepulchrum

*S. Mar.*

S. Martini septentibus antea ferreis, ar-Sæcul. XV.  
genteos subrogaturum. Id etiam exsol- A.C 1476.  
vit Anno Domini millesimo quadringen-  
tesimo septuagesimo nono, constructis cla- *Vid. edit.*  
thris, quorum pondus constituebant sex *Comm. ann.*  
millia septingentæ septuaginta sex selibræ *1723. in*  
argenti, duæ unciæ dempta octava drach- *5. volum.*  
mæ parte; ita testatur Auctor vitæ S. Marti-  
ni recens conscriptæ. Porro hic Viennensis  
Archiepiscopus idem ipse est, ad quem  
Comminæus persæpe in suis relationi-  
bus sermonem convertit, ejusque vitæ  
historiam ad calcem suorum operum ad-  
jecit.

### §. CIX.

#### *Turcarum expeditio in Moldaviam.*

Cardinalis Papiensis hoc anno Mense Ju- *Papiens.*  
lio ad Mantuanum Cardinalem scribens epist. 648.  
significat, instructum fuisse a Mahomete II.  
exercitum quingentorum millium Turca *Michov. lib. 4*  
rum, eosque in Moldaviam descendere *cap. 71.*  
parates esse. Ex Scriptoribus quoque *Crom. lib. 28.*  
Polonis intelligimus, Moldaviam ab ipsis  
quoque Tartaris invasam fuisse, ac Ste-  
phanum Vaivodam seu Palatinum, de  
cujus insigni victoria dictum est anno su-  
periori, obviam illis processisse, eisque  
ingenti clade fugatis, opimam prædam  
reportasse. Nihilominus Mahometes  
trajecto Danubio ubique infesta signa

Pp 2 intu,